

III.
NEOVIDENSIS

Nro 74. (Neovidensis Nro 97.)

Russiam duo viri ornarunt: Princeps Zizianoff, supremus belli contra Persas gesti Praefectus, et Comes Mussin Puskine, Campi Mareschallus; Ille ob praeclara sua facinora ab Imperatore Russiae ordinem Vladimiriensem primae Classis obtinuit, iste nuperrime fati functus humo mittit in Russiam Dialogum.

Elysium -- Meum. -- Die Veneris 14. Dec. 1804. (Neov. 30. Nov.)

*Sic bonus Aeneas construxerat absque Mathesi
Romanum Imperium, Politices sobolem.
Sic nunc dissolvit bello, vi nostra Mathesis
Non nullum Imperium, Politices sobolem.*

Colloquentes Personæ:

Euclides, & Joannes Vetz.

Vetz.

O me terque, quaterque beatum! tandem mihi datum est, Patrem scientiarum mathematicarum coram venerari. Indulge, magne Euclides! ut tibi nomine totius generis humani grates persolvam immortales.

Euclides. Quid id est umbra ex mundo superiore adveniens! qui fit, ut tu me ver-

bis generis humani salvere jubeas? Tu forte ab eodem ad me missus legatione fungeris?

Vetz. Hoc equidem aperta fronte propugnare non ausim.

Euclides. Quid te impulit, ut mei inveniendi causa tantum tibi fatigii sumeres?

Vetz. Inde ab origine maris glacialis usque ad ultimam Abyssiniam non est palmus terræ, in quo non exstarent manifesta tuæ scientiæ documenta.

Euclides. Quid sibi volunt hæ insolitæ, quibus me extollis, laudes?

Vetz. Quid essent sine te universi Status, & Ordines, summi, & imi, artifices, & opifices, Ministri, & ductores copiarum? Tu editis operibus novum mundo indidisti vigorem; quæ cives specie quadam ambitionis imbuerunt.

Euclides. Noli succensere, quod tuam ex te cupiam rescire conditionem.

Vetz. Faxo, quod petis, sum magister in arte, quam veteres sartoriam dixerunt.

Euclides. Quid, tu artifex? O quantum luminis infusum est orbi terrarum, cum sartores tanti faciant scientias mathematicas!

Vetz. Doctissime Euclides! Mea ars non est ita facilis, ut nonnullis videtur. Qui hodie in hac arte vult excellere, debet multa discere, multa scire, & mathesi carere omnino non potest, ars nostra est pars matheseos. Nam primum accipienda est mensura, deinde secundum mensuram materia scindenda, tum jam Theorema de quadra-

to hypothenusæ applicandum, jam ex Trigonometria problema exquirendum, & accurata materiam inter, ac corpus instituenda æquatio.

Euclides. Profecto non putaram tam difficilem esse vestram artem.

Vetz. Utique nullo labore exerceretur, si omnes vestium formæ semper eadem manerent. At modo homines sibi ipsis non constant, singulis fere mensibus nova se vestiendi inducitur methodus. Hodie vestis denotat longam corporis habitudinem, cras brevem, alias galygæ pertingebant usque ad coxendices, nunc ita in altum assurgunt, ut illis cor includatur. Præterea in quolibet corpore summa attentione est opus, & mathematica pervestigatione, tam diversæ enim existunt corporis humani species, ut homini cum omni mathematicarum veritatum cognitione aqua hæreat, debeatque se in omnes, partes versare, ut tandem reperiat, quodnam theorema geometricum quam optime conveniat.

Euclides. Tantam accurationem ego in arte vestra non quæsissem.

Vetz. Neque ego; Longo tempore ipse omnia mechanice tantum tractabam; verum ante duos circiter menses eruditorum quidam edidit Parisiis librum, qui me attonitum reddidit, planum faciens in quanta hætenus una cum meis collegis versatus fuërim rerum ignorautia.

Euclides. Numquid ille liber vestram complectitur artem?

Vetz. Nullus dubita, ita enim inscribitur; *Ars sartoria mathematice pertractata.* A pluribus jam annis in Germania inter eruditos usitatum est, ut habeantur libri, & scripta, non tantum de scientiis, & artibus, sed etiam de variis opificiis, imo, omnia, quæ humana mens capere potest, in ephemeridibus, & calendariis copiose explicantur. Sola nostra ars non poterat hæcenus de tali honore gloriari, usque dum eruditus Parisinus ejus patrocinium suscepisset, ejusque late patentem magnificentiam e tenebris in lucem protraxisset. Opus hoc mihi, & meis collegis eximio cedit honori, inde enim licet discere, quanti momenti sit ars nostra tam in Republica, quam in qualibet rei domesticæ administratione. Laudatus author ita habet in Præfatione: Tres res sunt in vita humana necessariæ: Victus, habitatio, & vestitus. Primum curæ est agricolis, secundum cæmentariis, tertium procurat ars sartoria; itaque ars hac est summe necessaria unicuique hominum. Hinc apparet ejus præstantia. Dein transit ad sartoriam mathesim.

Euclides. Et quibus in hanc rem utitur argumentis?

Vetz. Nullus sartorum potest mathesi carere, quam veritatem eruditus scriptor ita demonstrat: Omnis ars mechanica debet

princ
arte
partim
ars s
regi.

forma
ad m
vem
Hic e
Math
tuum
quom
etiam

utilita
dignis
Est s
cet in
nostr
panni
rum,
ulnæ
ano,
tus,
corpo
ergo
ponitu
pecca

principiis mathematicis regi, jam autem in arte sartoria multum est ex mechanica (*huc pertinent, acus, forfex, filum, digitale*) ergo ars sartoria debet principiis mathematicis regi.

Euclides. Hæc consequentia est in forma.

Vetz. Antequam author gradum faciat ad mathesim arti nostræ applicandam, brevem suppeditat historiam hujus scientiæ. Hic ego te, magne Euclides! primum inter Mathematicos legi, hic primum nosse didicisti tuum immortale nomen. Hic exclamavi, quomodo factum est, ut Euclides pro arte etiam sartoria principia tradiderit.

Euclides. Multum mihi gratulor, me in utilitatem tuæ artis aliquid contulisse.

Vetz. Porro, prosequitur omni honore dignissimus author. Quid est Mathesis? Est scientia quantitatum, in quantum eas licet in calculum vocare, vel dimetiri, atqui nostra ars in calculum vocat quantitatem panni, serici, & aliarum id genus materiarum, scire enim debet quot sint necessariae ulnæ pro vestimento solenni, pro quotidiano, item pro galygis, & alio genere vestitus, Præterea debet metiri & pannum, & corporis tam longitudinem, quam latitudinem, ergo nostra ars tota quanta ex mathesi componitur.

Euclides. Neque hæc conclusio quidquam peccat contra formam.

Vetz. Non possum celare cogitationem, quæ mihi hac occasione oborta est. Si nostra ars tantum habet de mathesi, tum etiam merito scientia est; Mathesis enim inter præstantissimas, solidissimasque refertur scientiâs. Si autem nomine scientiæ venit, persuasum habeo nostras sartorias scientias propediem in Academiis, & Universitatibus publice prælegendas, & pro iis tradendis Professores per concursum deligendos. Unde fiet, ut arti huic dediti non jam amplius sartores, sed vestimentorum Professores compellentur.

Euclides. Scis utique nomina nihil adjicere rebus.

Vetz. Utinam hoc homines suis mentibus alte imprimerent! Sed quid impendunt tantos labores titulis consequendis? Honorum vobabula nec meliorem, nec deteriorem reddunt rem, at Personæ ista aucupantes.

Euclides. Gratulor scientiæ, & gaudeo, imposterum non nisi mathematicas portatum iri vestes.

Vetz. Ego vero liquidissima voluptate pene desipio, & hæc fuit præcipua mei conatus causa, ut tibi, virorum maximo, tanquam Patri nostræ artis obsequia præstarem.

Euclides. (Secum ipso — quis divinaset me in cœtum sartorum aliquando co-

optar
grate
test
titulis

Alexa
lome
us, c
metri
in 15
Hyps
præst
misit.
fons
lomet
thesi
rum
eum,
metho
quam
ullum
dum
tivam
am B
sartor

optandum.) Pro exhibita mihi humanitate grates refero, vale — proxime plura.

Vetz. Ad quantos honorum gradus potest homo eluctari, o tempora, o mores titulis inhiantes!

Biographiae.

Euclides dictus mathematicus natus est Alexandriae in Aegypto, ubi imperante Ptoleomeo, Lagi filio, annis fere trecentis prius, quam Christus masceretur, docuit Geometriam. Reliquit elementa hujus scientiae in 15 libris, quorum tamen duo postremi Hypsicli adscribuntur. His 15 voluminibus praestantiores antiquitas ad nos non transmisit. Hi erant pluribus saeculis unicus fons scientiarum mathematicarum. Rex Ptolemeus voluit Euclide uti Magistro in Mathesi, at observata veritatum mathematicarum demonstrandi difficultate, interrogavit eum, an non detur pro Regibus faciliior methodus condiscendi mathesin? Nequam, reposuit Euclides, mea scientia nec ullum suppeditat Regibus faciliorem modum discendi, nec ullam tribuit praerogativam.

Joannus Vetz ipse cauit in Comaedia suam Biographiam, quam ita inchoat: Sum sartor nomine Vetz, Vetz, Vetz.

Quia Neovidensis Nro. 69. (92.) specialem Hungarorum facit mentionem, æquum est, ut problema mathematicum eodem numero propositum Hungarus resolvat.

Submitto itaque ejusdem resolutionem:

Sit lucrum primi = x ; secundi = y ; tertii = z . Per conditiones problematis habebantur æquationes: $y^2 = xz$ $x + y + z = 49$, $x^2 + z^2 - y^2 = 481$, ex harum secunda est $x + z = 49 - y$, adeoque $x^2 + 2xz + z^2 = 2401 - 98y + y^2$, ex tertia autem $x^2 + z^2 = 481 + y^2$, hinc $2xz + 481 + y^2 = 2401 - 98y + y^2$, seu $2xz = 1920 - 98y$, & pro $2xz$ substituendo $2y^2$, $2y^2 = 1920 - 98y$, quare $y^2 + 49y = 960$. Complendo quadratum & extrahendo radicem $y + \frac{49}{2} = \frac{79}{2}$, unde $y = 15$. Quare æquatio $x + y + z = 49$ abit in hanc $x + z = 34$, & æquatio $y^2 = xz$ in hanc $225 = xz$ habemus igitur, $z = 34 - x$, & $z = \frac{225}{x}$ unde $34 - x = \frac{225}{x}$ & $x^2 - 34x = -225$. Complendo quadratum & extrahendo radicem, $x - 17 = 8$, adeoque $x = 25$. Quapropter $z = 9$.

Felső-Mattyasocz
5. Dec. 1804.

Ladislaus Matyassowszky.